

**III MARTII.
DE S. CVNIGVNDE IMPERATRICE,
VIRGINE, CONIVGE, VIDVA, DEMVM
SANCTIMOMIALI BENEDICTINA,
CONFVGIÆ ET BAMBERGÆ IN
GERMANIA,
BVLLA INNOCENTII III DE
CANONIZATIONE S. KVNEGVNDIS.
Ex MS. Bambergensi a Gretsero edita.**

**Innocentius Episcopus servus servorum Dei,
venerabili Fratri a Theumoni Episcopo, & dilectis
filijs Capitulo Babenbergensi, salutem &
Apostolicam benedictionem.**

[1] Cum secundum Euangelicam veritatem nemo accendat lucernam & ponat illam sub modio, sed super candelabrum, vt omnes, qui in domo sunt, videant; pium pariter est & iustum: vt, quos Deus merito sanctitatis coronat & honorat in cælis; nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris: cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in Sanctis. [Matth. 5. 15] Pietas enim promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ, dicente Domino per Prophetam; Dabo vos cunctis populis in laudem, gloriam & honorem: & per se pollicente; Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. [Deut. 26. 19] [Matth. 13. 43] Nam, vt suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operetur; fideles suos, quos semper coronat in cælo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memorias signa faciens & prodigia: per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides Catholica

confirmetur. Nos ergo, [Sancti a Deo honorantur miraculis:] Carissimi, quantas possumus, etsi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones: qui in diebus nostris, ad confirmationem Catholicæ fidei & confusionem hæreticæ prauitatis, euidenter innouat signa, & miracula potenter immutat, faciens eos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde, quam ore, nec non & opere tenuerint.

[2] Inter quos beatæ memoriæ Kunegundis, Romanorum Imperatrix Augusta, quæ degens olim in mundo, magnis meritis præpollebat; nunc, viuens in cælo, multis coruscat miraculis, vt eius sanctitas certis indicijs comprobetur. Licet enim ad hoc, vt aliquis Sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseuerantia, testante Veritate, quæ dicit: Quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; Et iterum: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc tamen, vt ipse Sanctus apud homines habeatur in Ecclesia militante, duo sunt necessaria; virtus morum, & virtus signorum, videlicet merita & miracula, vt & hæc, [quæ simul cum virtutibus sanctitatem confirmant:] & illa sibi invicem contestentur. [Matth. 10. 22] [Apoc. 2. 10] Non enim aut merita sine miraculis, aut miracula sine meritis plene sufficiunt ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati: cum interdum angelus satanæ transfiguret se in Angelum lucis: & quidam opera sua faciant, vt ab hominibus videantur. Sed & magi Pharaonis olim signa fecerunt: & Antichristus tandem prodigia operabitur, vt, si fieri posset, in errores etiam inducantur electi. [Exod. 7.] [Matth. 24.] Verum, cum & merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula; certum præbent indicium sanctitatis; vt nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus & meritis præcedentibus, & miraculis subsequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur, qui de Apostolis loquens aiebat; Illi autem profecti

prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. [Marc. 16. 20]

[3] Sane cum ad audientiam bonæ memoriæ Cælestini Papæ, prædecessoris mei, [Apud Cælestinum 3 actum de Canonizatione,] merita & miracula præfatæ Imperatricis, vobis referentibus, peruenissent, vt ipse de illis notitiam conciperet certiolem, inquisitionem eorum venerabilibus Fratribus nostris Augustensi & Eistetensi, & bonæ memoriæ Wirtzburgensi Episcopis, & dilectis filijs Eboracensi, Lancheimensi, & Hailsbrunensi Abbatibus per Apostolica scripta commisit: post cuius obitum vsque adeo manifestari cæperunt, & multiplicari miracula, vt ex euidencia pariter & frequentia, sanctitas eius ab omnibus, quasi notoria prædicetur; sicut ex multis testimonialibus literis Episcoporum, Abbatum, Præpositorum & Principum, nec non & aliorum multorum nuper nostro extitit Apostolatui reseratum.

[4] Venientes igitur ad Apostolicam Sedem ex parte vestra, dilecti filij D. Abbas Michelueldensis, Gundelus Decanus, Cunradus Custos, Marcus Archidiaconus, Hermannus Subdiaconus maioris Ecclesiæ vestræ, Lupoldus Diaconus S. Stephani, [missis denuo legatis,] Burchardus Diaconus S. Mariæ, Henricus Presbyter S. Michaëlis, Henricus Subdiaconus S. Mariæ, nobis & fratribus nostris humiliter supplicarunt, vt ex plenitudine potestatis, quam Iesus Christus S. Petro concessit, prænominatam Imperatricem Sanctorum Catalogo dignaremur adscribere, decernentes, eius memoriam inter Sanctos ab vniuersis fidelibus de cetero celebrandam: cum hoc sublime iudicium, ad eum tantum pertineat, qui est S. Petri successor & Vicarius Iesu Christi.

[5] Nos itaque cognoscentes, quod hoc reuera iudicium sublimius est inter cetera iudicia iudicandum, in ipsius

examinatione plenariam volumus adhibere cautelam. Et ideo prænominatos iurisiurandi religione constrinximus, vt puram nobis super hoc dicerent veritatem. Qui iurati dixerunt, quod, [facto examine de virtutibus,] sicut ex celebri fama & solenni scriptura nouerunt, B. Kunegundis S. Henrico Imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Vnde, cum Dominus Imperator ageret in extremis, Principibus & parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam resigno: Virginem eam dedistis, & Virginem reddo. Suam ergo virginitatem Domino consecrauit, & seruauit intactam: ita quod, cum aliquando, instigante humani generis inimico, suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta; ipsa, vt suam innocentiam demonstraret, super ignitos vomeres nudis plantis incessit & processit illæsa.

[6] Item sanctus Imperator Henricus, & hæc Imperatrix egregia Kunegundis de proprijs facultatibus Babenbergensem fundauerunt Ecclesiam & dotauerunt: [beneficijs Ecclesiæ collatis,] quam cum suis omnibus pertinentijs ex feruore deuotionis, quam ad Apostolicam Sedem habebant, S. Petro Apostolorum Principi obtulerunt, annum ei censum, ad iudicium quod Iuris sit Ecclesiæ Romanæ, soluentes. Sed & alia plurima beneficia pijs locis & venerabilibus Ecclesijs contulerunt, Christum sibi facientes hæredem.

[7] Hæc & alia retulere de meritis; de miraculis asserentes, quod eis præsentibus & videntibus, ad memoriam huius Virginis, cæci visum, claudi gressum, muti verbum, [& miraculis,] & surdi recuperauerunt auditum, alijsque languoribus impetiti, frequenter & euidenter plenam consecuti sunt sanitatem: & quod est mirabilis nouitatis & noui miraculi; puluis de tumulo eius assumptus, sæpe conuersus est in frumentum.

[8] Nos ergo de meritis & miraculis eius multis & magnis non solum testimonijs, sed & testibus certiores effecti; cum secundum Prophetam, laudandus sit Deus in Sanctis suis; [peragitur canonizatio:] de Fratrum nostrorum consilio & Pontificum multorum apud Sedem Apostolicam existentium, ipsam beatam Virginem Kunegundim Catalogo Sanctorum adscripsimus, eiusque memoriam inter Sanctos decreuimus celebrandam. [Psal 150. 1] Quapropter vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus, quod nos solenniter & caute statuimus, vos humiliter & devote seruetis, vt meritis eius & precibus apud misericordissimum iudicem indulgentiam consequamur.

Collectam autem & alias orationes in commemoratione eius dicendas, edidimus, quas in hac pagina duximus subscribendas. Oratio. [præscribuntur orationes.] Omnipotens & misericors, Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter exoramus; vt, sicut S. Kunegundi Virgini tuæ, post terreni culmen Imperij, cælestis regni solium contulistis: ita meritis eius & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum. Secreta. Sacrificium laudis tuæ tibi, Domine Deus noster, offerimus, tuam clementiam implorantes, vt per huius Sacramenti virtutem, intercedente S. Kunegunde Virgine tua, nos & a peccatis expedias, & a periculis tuearis. Per Dominum. Complenda. Sacramentum redemptionis humanæ, quod in honore S. Kunegundis obtulimus, tibi nos, Domine, reddat acceptos, vt per hoc, quod & accepimus ipsi de tuo, & suscepisti de nostro, in tui semper vnione viuamus: Qui cum Patre. Datum Laterani, III. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.